



Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Gefördert durch



Deutsche
Forschungsgemeinschaft

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

'DFG-Projekt "Personales Gelegenheitsschrifttum in der SuUB Bremen (16. bis 19. Jhd.). Digitalisierung und Erschließung."

**Rector & Professores P. Illustris Scholæ Bremensis,
indicant in diem 12. Septembris Exsequias Viri Maxime
Reverendi, Doctissimi atque Facundissimi Everhardi
Kessleri, S. Theologæ Doctoris & Coetus ...**

Kesler, Eberhard

Bremæ, 1759-09-12

VD18 91021286

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Signatur: brem.a.0619-176

[urn:nbn:de:gbv:46:1-180382](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:46:1-180382)

1734. 26. 12. 1760. 176.

RECTOR & PROFESSORES P.

ILLUSTRIS SCHOLÆ BREMENSIS,

indicant

in diem 12. Septembris

Exsequias

Viri Maxime Reverendi, Doctissimi

atque Facundissimi

EVERHARDI KESSLERI

S. Theologæ Doctoris & Coetus Stephaniani Pastoris Primarii

Nati Bremæ d. 12. August. A. MDCC.

Denati ibidem d. 8. Septembris A. MDCCCLIX.

Ætatis A. LIX. D. XXVII.

BREMÆ,

Typis, Viduæ b. H. C. Jani, quondam Illustr. Gymnasii Typographi.



ILLUSTRI SCHOLAE BREMENSI

Indulgent

in diem 12. Septembris

Exequias

Viri Maxime Reverendi, Doctoris

atque Praeceptoris



Ad inutiles & otiosas quaestiones reputanda est disceptatio, utrum expediat pio, repentina morte, an lenta, exuvias mortales deponere. Exercuit illa ingenia, dum Dialectices barbarae, sterile studium praevalebat, & e re scientiae esse existimabatur, de quacunque materia in utramque partem, disputare, neglectisque solidis principiis, unde distincta veri pendet notitia, conquisitis rationibus, demonstrare, esse bona, simul & esse mala, in utraque parte, de qua ambigebatur; qua methodo, absolute, de neutra quicquam confici poterit. Uti sibi nullae res per omnia sunt similes, & in omnibus est differitas, in plurimis etiam insignis, saepe maxima, sic id, quod uni conducit, alteri est nocivum. Et quid est quod pio expediat, in fatis pendentibus a supremo rerum arbitro? Id profecto, quod is pro sua suprema libertate & sapientia, pro sua quoque hinc justitia, inde benignitate, dispensat. Beneficii loco in cita morte habendum, quod a doloribus nos eximat & a cruciatibus, quae lentam comitantur. Non terret illa nos per suos anteambulones, interea terret & percellit alios, amicos & necessarios, vel conspectu vel nuntio. Equis velocibus similis, tendentem in patriam, rite accinctum, expedite, quorsum cupit, transfert & a malis liberat, interea non opinantem, & in aliis negotiis districtum, libentiusque moras nexurum, confundit & opprimit. Habet & sua bona mors protracta, quae aerumnas, quas secum fert compensent. Imago mortis, pedibus vel suspensis vel claudis obrepentis, animum tardiozem ad meditationem ejus, arduum illud, verum omnibus mortalibus incumbens negotium, excusso veterino, excitat atque impellit, ut absque cunctatione & dilatione, curanda euret, emortualem diem componat, animam salvet, testamentum faciat, & reculas sarcinulasque colligat. Sic efficit, quae effecisse nunquam poenitebunt, & neglexisse, per aeviternitatem affligerent. Minima haec pars est atque portio bohi, ex diuturno morbo. Tollit enim solum

solum ista, quæ fatum obitus, cæteroquin reddunt intolerabile. Beatitas nulla est, si modo ea a morte auferantur, quæ illam in hac vita, ingeniis & mentibus servilibus, faciunt exosam. Homo pius ad alia adspirat, ad meliorem nempe statum, ad perfectionem omnimodam, cujus est capax, & ad negotia beatorum, sine quibus coelum cessaret esse veri nominis beatitudo. Ad ipsa hæc, quæ morbos diuturniores circumstant, præparant multis modis. Exercent patientiam, virtutem illam supremam confessorum Optimi Maximi Sospitatoris. Mora finis, fidem ejusque multiplices actus, elicit, incitat, & exercendo ad fiduciam & *πληροφροσύνην* perducit. Animum enim urget, ad crebra suspiria Servatori gratissima fundenda, Veni Domine Jesu, quorum ardori a Spiritu Sancto iussu, ut benignus est, respondet ipsis eventibus, qui hæc testatus est, venio mox, resonante in corde sancta illa antiphona, Amen veni Domine Jesu. Experimentalis sic acquiritur cognitio, omnem ut audit idealem, multis post se relinquens parasangis, divinæ omnisufficientiæ, comparatæ cum egestate rerum creaturarum, (quam cum aliis manifestam reddit, exquisitissimorum medicaminum, ad opem ferendam inopia) quæ in ipso Paradiso, ut hic acquiritur, proderit ad laudes Dei eo alacrius decantandas. Ipsæ dolorum torture & animi inde ortæ angustiae, statum liberationis ex illis atque perpetuæ requietis, eo jucundiores reddent. Quod si ex decreto adorando Summi Numinis, talia fata contingant, coetus a Christo redempti doctori, utilitas inde redundans, non ipsi solum, sed & animabus curæ ejus commissis, proficua esse poterit, siquidem is lectulo emortuali in suggestum converso, animos commiseratione malorum commotos, feliciter docebit veritates salutares, quas ipse experiundo addidit. Sic Deus novit, immittendo cuilibet, id quod optime convenit, quid cuilibet expediat. Dolemus, nos superstitibus in hoc orbe, obitum *Viri Maxime Reverendi*, cujus nomen & dignitates frons tabulæ indicat. Excepit illum in hanc vitam ingrediens dulcissima Patria Ao. 1700. d. 12 Augusti, natus ex Parentibus, qui gregem Domini heic a longis retro annis, doctrina paverunt. Pater erat Vir Plurimum Reverendus, Doctissimus & Clarissimus JOHANNES CONRADUS KESSLERUS antea Linguarum Græcæ & Orientalium, dein SS. Theologiæ Professor & Coetus Martini Pastori; Mater T. T. HEDWIGIS HOFFHAM; *Avus* in stemmate Paterno fuit Vir Plurimum Reverendus Doctissimus & Facundissimus JOHANNES JACOBUS KESSLERUS, post plura munera ecclesiastica in Palatinatu gesta, electus Pastor Coetus Stephaniani Ao. 1689; *Avia* T. T. JUDITHA SIMONIS, T. T. JACOBI SIMONIS, Civis & Senioris in Ecclesia Wetzlarienti filia. *Proavus* T. T. JOHANNES GEORGIUS KESSLER, Senator Heppenheimii in Palatinatu; *Proavia* T. T. ANNA MARIA SCHAEFFER. *Abavus* T. T. ADAMUS KESSLER, Laubenbaci a secretis judicii: In materno vero *Avus* Vir Plurimum Reverendus EVERHARDUS HOFFHAM, in Coetu Johanneo Ordinarius, in Stephaniano vero simul Pastor extraordinarius, *Avia* T. T. AGNESA ALMERS. *Proavus* item T. T. EVERHARDUS HOFFHAM Negotiator felicissimus, *Proavia* T. T. ANNA RÜSING. *Abavus* demum T. T. JOHANNES HOFFHAM, hæreditarius in Hoffhamshof, in ditione Monasteriensi, *Abavia* T. T. MARGARETHA OESTHAUSEN. Parente, admodum adolescens orbatus, fidei curæ Patruelis, Viri Reverendi & Doctissimi CAROLI KESSLERI Philol. Sacræ Prof. extraordinarii & Classium I & II Præceptoris commissus, in Pædagogio; dein ad altiora subsellia Ao. 1716. d. 23 April. promotus, manucentibus Viris Clarissimis in elegantioribus & Philosophia *Joh. Havighorstio*, *Lud. Henr. Rungio*, *Jacobo Hasæo*, in Theologia vero Beatis *Alb. Schumachero* & *Godofrido Jungstio*, sic profecit, ut exteris salutatum iret Musas, A. 1721. Pependit Ultrajecti ab ore Virorum Celeberrimorum *Hieronymi van Alphen*, *Frid. Adolphi Lampe* & *Davidis M. H.* Postquam idioma Belgicum excoluerat & in numerum Candidatorum Rev. Ministerii, subiens solita examina receptus fuerat, vocatus est Pastor Coetuum Gelricorum combinatorum in *Düren*, *Elkam* & *Spankeren* Ao. 1728. Succesit A. 1732. vocatio ad Coetum in *Elste*, sed eodem tempore ad *Coetum Stephanianum* in patria, quam, ejus amore ductus,

ctus, amplexus est. Anno 1739. a *Gedanensibus* electus & vocatus, eodem
 patriæ amore permotus, coetui suo se denuo addixit. Postquam ab alma
Duisburgensi axiomate Doctoris Theologiæ A. 1753. d. 19 Aprilis ornatus
 fuerat, spartam Pastoris Primarii, tunc vacuum, coetus in ipsum contulit
 A. 1754. d. 19 Junii. Sacris connubii vinculis junctus est An. 1734. d. 16
 Novembris cum Virgine Lectissima HENRIETTA ANNA SCHLEPE,
filia T. T. LUDERI SCHLEPE J. V. D. & T. T. ANNÆ ZOBEL. Na-
 tus ex illo *filiolus* A. 1735. d. 24 Aug. JOHANNES LUDERUS CON-
 RADUS, matre mox post puerperium ad superos abeunte, illam bimul-
 lus A. 1737. d. 10. Aug. sequutus est. Transiit ad secunda vota A. 1738. d.
 3. Junii, cum Virgine florentissima, vidua nunc moerentissima GESA MA-
 RIA KOEHNEN, *filia* T. T. HENRICI KOEHNEN Magnarii ex præ-
 cipuis & T. T. ANNÆ KANNENGIESSER. Quaterna prole istud
 connubium foecundum fuit, ex qua tamen solus *primogenitus*, Juvenis
 Ornatissimus HENRICUS natus 7. Maji A. 1739. Jurium Studiosus, super-
 perstes, Parentis obitum luget. Deceſſerunt post geniti. HEDWIG LU-
 CIA, nata A. 1740. d. 19. April, obiit A. 1742. d. 2. Novemb. JOHANNES
 CONRADUS, lucem aspiciens A. 1742. d. 24. Decembr. oculos clausit
 A. 1746. d. 11. Octobr. & ANNA nata A. 1748. d. 22. Maji, Parentem exi-
 tu præcessit A. 1752. d. 18. Julii. Spartæ suæ præfuit illamque ornavit, pie
 defunctus, per annos viginti sex & quod excurrit. Rerum suarum sata-
 gens, laudem inde non vulgarem reportavit, quod in erudienda juventu-
 te, etiam rudiore & infimæ sortis, indefessus, coetum plurimis membris
 auxerit. Ut hilarioris erat ingenii, quo in doloribus morborum acutis,
 quibuscum illi ab aliquot annis conflictandum fuit, sustentatus & erectus
 est, sic adamicitiam colendam aptus, lenitatis amans, se commendare stu-
 duit conscientis Auditorum. Calculi renum dolores, a longo tempore sæ-
 pius persensit. Morbos alios diuturnos & acerbi sensus, pridem expertus
 est, ad quos accesserunt exanthemata scorbutica, quæ ut obstinata erant,
 quicquid exquisitorum opponeretur remediorum, materia peccante per
 merastasin ad pedes descendente & difficillimos tumores excitante, quibus
 in ulcus insanabile degenerantibus, per morbos exploratus, ad æternita-
 tem præparatus & confectus demum, immortalem spiritum Deo creatori
 reddidit. Condetur quicquid mortale circumtulit, hodie sub hor. I. in tem-
 plo Stephaniano. Pos. d. 12. Sept. A. MDCCLIX.

